



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

ta manu, quæ sufficere videretur terræ tutandæ: cui tamen in aperto congredi tanto exercitui consilium non erat, quod impar esset viribus: sed collecta equitum quanta ex tempore potuit ala, magnam rustica plebis multitudinem secum traxit leui armatura, & clanculo sequutus, hostile agmen obseruabat, vbi castra poneret: Quieuit autem prima nocte ad curtem monasterij: Exercitu enim foris tendente, archiepiscopus ipse curtem ipsam ingreditur. Prefectus ducis, cum explorata teneret omnia, & quieta cunctis viderentur silentia, noctu irruens in quietos, capit archiepiscopum & comitem: & qui se commouerant, repressit: Trahit vtrunque captiuum in castra ducis: Archiepiscopus Brunswicum mittitur, ibiq; anno integro seruatur: comitem vero, quod violator esset sacramentorum, quibus duci suo adstringeretur, erecta trabe, iussit appendi per pedes, vt exquisito cruciatu finiret, qui execrabile scelus in dominum suum commississet. Hæc est illa captiuitas archiepiscopi Moguntini ab duce Brunswiccensi.

CAPVT XXII.

Richardus ergo Cornubiæ in Anglia princeps, cum per hunc archiepiscopum adspiraret ad regnum, ingenti exprompta duci Brunswiccensi pecunia, archiepiscopum e carcere liberauit. Quocirca redemptus redemptori suo inclinabat. Peruenere ergo ambo, Alphonsus & Richardus, titulotenus ad regnum: sed non vltra progressa est vllius authoritas: Nihil enim administrasse leguntur, nisi quod Alphonsum Coloniensis, & Richardum Moguntinus fouerent archiepiscopi: & contumuit alterum, alterius metus, nè quid attentarent: Siue id modestiæ deputemus, quod viri sensati lacerare se mutuis viribus, pro alieno Imperio, iudicabant indignum: Nusquam

Nusquam enim referuntur in inuicem arma aut acies
 produxisse, contenti glorioso nomine, in quo Richardus
 magis efferbuisse cernitur. Nam Alphonsus, ubi sensu
 sibi ortum amulum, intra regni sui se limites continuit.
 Et quoniam nihil magnum in regno peregerunt, Italici
 scriptores, per eorum, ut diximus, tempora, vacasse scri-
 bunt Imperium. Interim vero, cum per annos octo & de-
 cem, nemo in Romano se commoueret Imperio, qui ma-
 gnoperè publicam videretur curam admittere, res Asia-
 nae factione stultissima Italarum sunt periclitata. Ptole-
 maide enim, domini Veneti & domini Ianuenses, in-
 uicem tumultuantes pro sola superbia, locum fecere
 Ethnicorum irruptioni, ut finaliter omni Asia Christia-
 ni exturbarentur. Gyrationes suas insanas & vertigi-
 nosas, quas in Italia conceperant, usque in terram san-
 ctam efferebant. Nam per ea tempora saeuit in Italia,
 illa tartarea & ab imo barathri prolata diuisio Gibelli-
 norum atque Guelphorum, quae neque hodie penitus ex-
 tincta fumat. Sed haec Blondo commemoranda relin-
 quentes, in nostram Saxoniam reuertamur. Ille enim,
 quasi nihil in reliquo terrarum orbe rerum commemo-
 ratione dignarum geratur, in solis illis Italarum suorum
 diris gyrationibus commemorandis multum temporis
 impendit, aureum suae orationis filum foedisimis tu-
 multuationibus suorum comprouincialium commaculans.

CAPVT XXIII.

Per quae tempora Adolphus, dudum comes, nunc fra-
 ter Minor, zelū diuinae religionis feruescentē, ma-
 gis atque magis in diem protulit, usque ad eadē ad omnes,
 ut ad visitandos quosque religiosos vnā cum praelatis
 adscisceretur: Speculum statuere patres in oculis omni-
 um